



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 8. Vita Activa. Figuræ. Præfertur Contemplativæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

per pectus requiescit. Eusebius Emis. in Nat. S. Joan. Evang.

*Et pedes ejus &c.* Apoc. 1. 15. Post oculos, ut flammam ignis, ignitos pedes refert: quia, sicut per oculos intelligitur vita Contemplativa; ita & per pedes activa. Et utraq; debet esse inflammata amore divini Spiritus. Sylveira hic.

*Data sunt mulieri ala dua.* Apoc. 12. 14. Hæ ala sunt vita activa, & Contemplativa. Hugo Card. hic.

#### Ex Patribus, & alijs.

Duæ vitæ, activa videlicet, & Contemplativa, cum conservantur in mente; quasi duo oculi habentur in facie: dexter namque oculus vita Contemplativa est; sinister activa. S. Gregor. mor. l. 6. c. 17.

Luna, quæ crescit, & minuitur; signat hominem in vita activa, & contemplativa. Quando vacat Contemplationi, tunc summè illuminatur fulgoribus cœlestibus: quando verò actioni vacat, tunc minus illuminatur. Et non vivit homo, qui non minuitur, quando se dat actioni: exceptò Christo, qui fuit perfectus in actione, & contemplatione. S. Bonaventura hexam. f. 20.

Circinus. Lem: *Hinc fixus, & inde movetur.* Malenius.

#### Utramque jungo.

*Tibi dixit cor meum: exquisivi te facies mea; faciem tuam Domine requiram.* Pf. 26. 8. Id est: hætenus exquisivi te per opera vitæ activæ, quarens tibi placere, & non alijs, nisi propter te: deinceps autem etiam faciem tuam requiram; intendens, & cognoscere, & faciem per contemplationem intueri. de Ponte in Cant. 1. 12. Exh. 3. §. 1.

*Ecce ego mitto angelum meum.* Malach. 3. 1. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Matth. 18. 10. Angelus, id est, *missus*: mittuntur ad hominum custodiam; & cum hominibus ita morantur, ut simul à respectu Patris non recedant. Efcobar. t. 5. Proph. Chr. l. 11. Obs. 3.

Totus suus, & totus omnium, erat: ut nec charitas à custodia sui, nec proprietas ab utilitate communi eum impedire, vel retardare, in aliquo videretur. Si videres hominem solum, & secum habitantem; putares soli vivere Deo & sibi. Si videres hominem medijs immersum turbis, & implicitum curis; diceres, patriæ natum, non sibi. S. Bernardus in festo S. Malachia.

#### §. VIII.

#### Vita activa.

#### Figura.

*Jacet paralyticus.* Servus Centurionis Matth. 8. 6. Activa est vita: quæ pro superna vitæ dextralibus servire deberet; sed malè se habet, cum paralyticum patitur, quæ dissolutio est membrorum. Nulla major morum dissolutio, quàm non quod decet, sed, quod libet, velle perficere. Sim. Caif. l. 5. c. 12.

*Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. 35. Succincti lumbis sunt, qui activam vitam agunt: ejusmodi enim habitibus utuntur operarii; quibus & ardentibus candelis opus est. Opus enim habet vita activa etiam judicij donò: ut is, qui activam vitam agit; non solum sciat, quod oporteat facere; sed & quomodo. Multi enim bonum quidem fecerunt; sed non bene: non habuerunt arduentes lucernas in manibus, hoc est, non habuerunt rectum judicium. Theophylactus hic.

#### Vita activa præfertur Contemplativa.

*Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est.* Prov. 14. 4. Hebr. *mundum est*, hoc est, ait Votabius: qui laborat, habet, quod manducet: qui autem otium sectatur, egestatem habet in domo. Bos erat victima: unde religionis est symbolum, & mortificationis. Salazar verum citatum sic explicat: sicut, qui caret bobus, habet præsepe, id est, stabulum mundum; qui autem boves habet, est stabulum immundius illi sit, gaudet tamen proventu. Sic, qui curam animarum non suscipit, sed sibi totus vacat, majori forsitan puritate conscientia fruitur: qui autem operam suam proximo navat, hic mentis suæ stabulum immundius habet: nam ex activa vita semper aliquid sordium, saltè levium, adhæret: tamen uberioribus fructus metit. Cornelius hic.

*Ego flos campi.* Cant. 2. 1. Invitaverat sponsum Cant. 1. c. ult. ad lectuli floridi, concinnæ, ac pulchræ, domus requirem; respondit ipse: *ego flos campi*; acsi corrigens eam dicat: quid me invitatis ad lectum floridum, qui natus sum ad labores, ærumnas, persecutiones, & pugnas? sum flos, non solum domi clausus, sed foris expositus. Flores in lectulo languent, & arefcunt; in campo florent, & virefcunt: sic virtutes in pace desforescunt: & à me lectulus tuus floridus. de Ponte hic Exh. 20. §. 2.

*In Jacob inhabitata; & in Israel hereditare.* Eccl. 24. 13. Jacob *luctator* dicitur, Israël *videns Deum*. Prius sis Jacob, luctator fortis contra carnis illecebras, contra insidias dæmonis: deinde hæreditaberis in Israël; accipies velut præmium actionum vitæ activæ, summam Dei contemplationem. Diez Contemplatio.

*Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Eccl. 42. 14. Contemplationi addicta anima, sit tibi mulier filum ducens, meditationis claustris addicta. Vir autem, minister Evangelij, ad campum profliens certaturus. Revertitur hic vulneratus ad claustra. S. Bernardus f. 12. in Cant: objurgat temerariè virum de prælio revertentem mulier nens in domo. Si quis de claustro eum, qui versatur in populo, interdum nimis districtè, minisq; circumspicte, sese agere deprehenderit; non ad judicandum confestim proflit; sed meminere scriptum: *melior est iniquitas viri &c.* Nam tu quidem, in tui custodia vigilans, benefacis: sed, qui juvat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absque aliquo iniquitate, hoc est, absque

absque aliqua inaequalitate vitae; memento, *quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Efcobar. t. 1. Par. Chr. l. 1. Sect. 4. Obs. 2. Melior, Deoque gravior, est vir Apostolicus, etsi in defectu aliquos labatur; quam solitarius, vel monialis, sibi soli, Deoque, vacans; ideoque defectuum vitae activae expers. Sicut melior est canis venaticus, qui lepores capit; etsi aliquando currendo per fenestras pedes cruentat: quam catellus speciosus, qui herae suae sinu continetur. Cornelius hic.

§. IX.

## Vita Contemplativa.

Num. 1.

Figura.

**E**Scher interpretatur *elevata*, vel *abscondita*: & signat animam contemplativam; quam in contemplatione elevat Deus, & abscondit in abscondito faciei suae à conturbatione hominum. S. Bonaventura. Spec. B. V. c. 10.

Per Joannem B. nullum aptius, quam contemplativum virum moraliter accipimus. Hic Joannes manet in deserto non tam materiali, quam spiritali; dum sedet solitarius, & elevat se supra se: quae sublevatione superna super cunctam hanc confusam rerum fluctuantium, & extundantium, multitudinem attollitur. Hanc subitus deserit: quae derelicta profectio manet in deserto quodam mentis secretissimo, & abditissimo, solis expertis agnito. Gerson. Lect. 2. in Marc.

Num. 2.

## Contemplativa praesertur activae.

*Suburbana autem eorum non venerant.* Levit. 25. 34. Hac re significabatur; Levitas praeter omnibus debere vacare sibi, & Deo: ideoque subinde secedere extra urbem, & strepitum populi; & vacare sanctae quieti, solitudinis. Quare domos urbanas vendere poterant; sed non suburbanas. Hinc discant Religiosi, Mariam praepone re Marthae, orationem actioni. Errant, qui se studijs, alijsque negotijs, ita occupant, ut orationem negligant &c. Cornelius hic.

*Ne suscipietis &c.* Cant. 2. 7. Qui enim Electi cujuslibet mentem, vel in orationibus devotis Deo loquentem, vel in sacris lectionibus divina mandata, sive promissa, meditantem; importunus impeditur; sponsam utique Christi de sopore beato, priusquam ipsa velit, excitat. V. Beda hic.

*Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis.* Jon. I. 3. id est, in explorationem gaudij, quod significat contemplationem; quam desiderant aliquando multi, quos Dominus mittere vult ad activam. Hugo Card. in Gen. 48.

*Maria - sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius &c.* Luc. 10. 39. Sapidiora confiteris fercula, quae Maria sedens, & audiens; accipit; quam quae Martha sargens preparat, & apponit: in his enim panis hominum; in illis autem erogatur panis angelorum. Hildebertus ep. 37.

Num. 3.

## Contemplativa jurvat Activam.

*Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit unam de costis ejus.* Gen. 2. 21. S. Augustinus somnum hunc extasim fuisse putat: ita dulci divinorum contemplatione illectus sensibus alienatus erat. Tunc Adam Eva utilior, cum contemplationi devotior. Ora, cum Eva vitam infundis; & tunc aptius vivificabis proximum. Tunc Adamus ossi refundit vitam, cum oratione alatus caelum frequentat. Est enim oratio salutis vena, persuasionis efficacia, reprehensionis energia, omnisque externa actionis anima. Addo: adeo efficax ad proximorum salutem oratio; ut minus possint, & longa jejunia, & praecleara virtutum opera. Naxera in Jos. 15. §. 14.

*Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nobis &c.* Ex. 13. 21. Nubes sic hominibus superior, ut caelo approximet; nec adeo remota, ut aspectum hominum fugiat. Idem in Jos. 14. §. 6.

*Cumq; levaret Moyses manus &c.* Ex. 17. 11. Moyses typus vitae Contemplativae, Jesus activae: quodque haec ab illa dirigi, omnemque suam vim, & victoriam, trahere, & haurire, debeat. Sic enim Josue vires pugnandi, & vincendi, hausit ab oratione Moysis. Cornelius hic.

*Fons signatus.* Cant. 4. 12. Sponsus sponsae puritatem laudans, eam clauso fonti assimilat: utpote quem neque ferarum pes sordidet, neque pulvis perturbet. Hunc ergo fontem, quem adeo sedule clausum dixerat, jam cunctis floribus, viretisque, amoenos subministrare latices ostendit: *fons horrorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.* v. 15. Contraria sibi sponsus dixisse videtur: si enim sigillo clausus, quomodo jam impetu fluens, & hortorum flores abluens? Imò, ut copiosiores hortis aquas imperiatur, prius est signatus, & clausus, sigillis. In abdito acquisivit, quos dicitur postea latices plantis omnibus propinare. Naxera tr. de B. V. §. 16.

*Erat (Joannes) in desertis.* Luc. 1. 80. Quare? & quousque? *usq; in diem offensionis suae ad Israel.* quatenus interea loquere-tur Dominus ad cor ejus in solitudine; revelans, & indicans; quae esset ipse facturus ad Israel, & docturus. Gerson. tr. 11. sup. Magnif.

*Reversi sunt pastores.* Luc. 2. 20. Scilicet ad custodiam gregis commissi. In quo erudiuntur devoti: ut, post contemplationem Salvatoris, revertantur ad exercitium actionis. *Animalia ibant, & revertebantur.* Ezech. 1. 14. S. Bonaventura hic.

*Exiit, qui seminat.* Luc. 8. 5. Scilicet de domo ad agrum; hoc est, quiete ad laborem. Idem hic.

*Hujus rei gratia secit genua mea ad Patrem D. N. I. C. ut det vobis &c.* Eph. 3. 14. 15. Cur non confugit ad ferrea vincula; & conducibilis videbatur dicere: hujus rei gratia carceris tenebras patior, compedes susti-

Uuu uu 3

neo &amp;c.